
HIERONYMI BARDI
D.S. Iatro-philo-Euchymici

THEATRVM NATVRAE IATROCHYMICÆ RATIONALIS.

Opus Dogmaticum Theorico-Practicum; quo quidquid in vniuerso naturæ ambitu Medicarum continetur facultatum, ob oculos curiosi, & nouitatum Amatoris, & melioris Medicinæ studiosi exponitur.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D.D.
EQV. COMM. ET ABBATEM
CASSIANVM A PVTEO.





ROMAE,
Formis Typographicis HH. Manelphij.
Annuentibus Superioribus.
cIↃ. IↃ.cLIII.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Apost. Pal. Mag. Ord. Prædic.

Hygeiæ, & Palladi Litantibus

DOMINICVS PANAROLVS

Anatomes, Botanicæ, & Medicinæ in Romano Archilyceo Professor.



VSTINE, quisquis es parumper, dum legis, iudicium, nec me præceps censura notet. Audax fui, sed quid inde. Audaciæ comes est Fortuna: animi ardorem exitus probabit. Circuit iamdiu in priuatis Laribus, tanquam in vase hermetico, Iatrochymicum opus, clarissimorum omnium, tum Vrbis, tum Orbis, Medicorum consensu viua voce pro elimato, perfecto, omnibusque numeris absoluto acclamatum; & tamen vt amicissimus, ita eruditissimus Bardus, continuis amicorum obsessus precibus, tanto fœtui vitalem huc vsque negat auram. Scit vere Aquilam pullos firmatis alis ad volatum impellere. Quid est hoc, timet fortasse? Haud quaquam. Non generant Aquilæ columbas. An Aquila sit ad contemplandum veritatis Solem Medicinæ Sacræ Idea edita testatur. Suam sobolem, sicut Vrsa, semper fouet, semper lambit.

Expectaui satis, fractis ob hoc amicitiæ legibus huius operis Synopsim, amica fide ab eius ereptam manibus imprimendam curaui. Sic nobilissimum fœtum quasi ab vbere rapui. Ad hoc enim me, Archiatrorum doctissimorum censuræ, quas ad excusandam, & cum amico, & cum lectore audaciam in lucem protuli, impulerunt. Probabunt Philiatri, & Philochymici tanquam in Symposio, quas delicias, quæ bellaria, quæ mella, quod suauissimum nectar contineat.

Anacephaleosim hanc merito Illustrissimo D.D.Cassiano à Puteo consecrandam censui, tum quia virtutum indeficiens Puteus totius Europæ sitim extinguit, tum quia communis Litteratorum Mecœnas Excellentissimi Bardi opera, & amicitiam benigne protegit, & fouet, ipsiusque imperio doctissimi Seuerini, non obœsæ naris viri, iudicium extra Censorum sententias addendum necessarium putaui; cum ipsis enim tanquam cum Musis Apollo alter concentum perficit. Valete, choreas agite, atque ex vngue agnoscentes Leonem simul impellite, vt absolutissimum, fœcundissimumque Iatrochymicæ opus celeri editione communicet. Hæc sint vota.

PRIMAE PARTIS
IATROCHYMIAE

Quarti, & præcipui medicinæ inſtrumenti.

Lib. I. ONTINET Iatrochymiæ originem, progreſſum, vtilitatem, præſtantiam, neceſſitatem, antiquitatem, puritatem; propagationem, vſum, obiectionum & difficultatum ſolutionem, & enodationem, eſſentiam, definitionem, & conſtitutionem ipſius. & Iatrochymici eiuſdem miniſtri, qui debet eam præcognoſcere, & exercere, vt primum, & præcipuum, quartumque medicinæ inſtrumentum; cuius occaſione inuentio, operatio, diſpoſitio, & inſtrumenta ipſius Chymiatriæ propria methodo à nemine, quod ego ſciam pertractata breuiter enucleantur, & cum ea philoſophandi libertas è tenebris, & carcere vindicatur, & naturalis Philoſophiæ, Medicinæque Magicæ theſauri reſerantur. Opus Encyclopædicum omnibus Palladis, tum profanæ, tum ſacræ ſtudioſis Alumnis, Apollineis, & Mercurialibus Viris Aeſculiapæis, & Artificibus Chyronicis, & Metallurgis maximè vtile, & neceſſarium.

Lib. II. Subiectam ipſi Iatrochymiæ materiam in genere pandit, reuelatis materia prima, quatuor elementis, tribus communibus, & homogeneis partibus, Sale, Sulphure, & Mercurio; partibus etiam heterogeneis; tota ſubſtantia, quinta eſſentia, & ſpiritibus; partibus item crudis, & excrementitijs, & præter naturam; rerumque qualitatibus in propatulo ad amuſſim ſingulari inuentione expoſitis.

Lib. III. Animalia, eorumque partes ſimilares, diſſimilares, & improprias; excrementa item, & res præter naturam, proprietateſque ſingulares, quæ ad finem, vſumque medicum

dicum in vniuersum conducunt Theoricè exponit, & congrua dispositione elucidat.

Arcana chymica in genere prosequitur; & ex arcanis animalium proprietate deducta eadem proponit contemplanda; vbi, & singulas animalium partes medica vi pollentes enumerantur, & practicè easdem excolendi, & elaborandi modi panduntur, & pulcherrima corollaria colliguntur, nouaque, & curiosa philosophica inuestigatione pertractantur. Lib.IV.

Vegetabilium eodem tenore naturas, & proprietates, qualitatesque Theoricè pandit, enucleatis singularium vegetabilium partibus dissimilaribus, & similaribus; liquidisque ipsorum, & solidis succis, gummatibusque, & lignis, corticibusque Indicis, præsertim vero China Chinæ (licet impropriè) ligno, & cortice nuncupato, nouissimè ad vsum medicum vti febrifugo traducto, licet etiam alijs temporibus nobis communicatio, à neotericis medicis singulari vsu bene accepto, trutina, philosophica, & perfecta analysi, & de Nasturtio Mexicano in floribus aliqua passionis Iesu Christi mysteria præseferente nephryticis doloribus præsertim, lienis obstructionibus, & febribus subueniente æquilibrata lance, Anatome spagyrica examinatis; rebus denique ab ijsdem vegetabilibus dependentibus pro congruo medicinæ vsu singulari indagatione enarratis. Lib.V.

Vegetabilium mirificas virtutes explicat, vbi de floribus, folijs, radicibus, & lignis, fructibus, & seminibus, succis, & liquoribus fluuidis, & concretis, rebusque ab ijsdem dependentibus multa curiosa pāduntur, & practicè horum omnium fabrefaciendi formulæ edocentur, & efflorescentibus corollis exornantur. Lib. VI.

Librum hunc Iatrochymiæ nomine inscriptum, au-ctore Excellentissimo, & vndequaque doctissimo Viro D. Hieronymo Bardi, de mandato Reuerendissimi Patris F. Vincentij Candidi Sacri Palatij Magistri vidi, & sedulò perlegi; nihilque in eo contra fidem orthodoxam, canones, aut bonos mores inueni. Inueniuntur autem penè omnia, quæ ad arcanam Philosophiam, ad

Hippocraticam, solidamque Medicinam, atque ad fructuosam perierghian spectant, consociatis in vnum in toto opere argumenti nouitate, doctrinæ polydædala varietate, verborum symmetrica proprietate, methodo, stylo, & venustate, ideòque non typis tantum, sed cedro, & æuiternitate dignum existimo.

Ego Io. Benedictus Sinibaldus ex Vrbis Archiatris, & in Romano Athæneo Medicinæ Practicæ Professor Ordinarius.



SECVNDAE PARTIS
IATROCHYMIAE.

Lib. VII. ATROCHYMIAE opera primaria, & secundaria exponit, quatuor elementis singulatim, partibusque homogeneis, seu tribus principijs chymicis, partibus item heterogeneis, quintis essentijs, seu spiritibus, rebusque exaltatis, & qualitatibus translatis per analysim patefactis: præterea & compositorum apparatus, & productiones, operumque differentias, instrumenta denique primaria, & eorum vsus, operumque secundariorum administrationem. Canonicè particulari contemplationi mancipata dilucidat.

Lib. VIII. Mineralia, & fossilia singula Theoricè explicat, occultis naturæ effectibus enodatis, vbi Iatrochymiæ inseruientes terræ, succi fossiles liquidi, & minerales, ac metallici; aquæ etiam thermales, earumque causæ, & effectus aperiuntur: Balnea insuper Pisana in genere, & in specie conspicua, & manifesta pro eorum virtutibus, & dotibus.

tibus fiunt; ſucci item foſſiles concreti, & ſalis communis eſſentia, qualitates, & vſus, & effectus admirandi, & ſacræ huiuſce dilucidationes; Salis inſuper Gemmæ, Nitri, Alkali, Armeniaci, Thincar, Aluminis, Vitrioli, & eorum omnium ſpecierum, Sulphuris item, Bituminis cuiuſcunque ſpeciei, Succini etiam, Electri, & Ambræ, & Bituminoſarum Gemmarum, omniumque horum vires, & dotes eximiæ enumerantur, & denique pro vſu pateſacta omnia, edocta natura ceræ obſignantur.


Præter hæc etiam lapides vulgares, Magneſq. in ſpecie ſpecioſè, & baſilicè explicantur, Lapides item pretioſi, & Gemmæ in communi, & in particulari Medicinæ vſui accommodatæ, Sardius ſcilicet, Topazius, Smaragdus, Carbunculus, Sapphyrus, Iaſpis, Ligurius, Achates, Amethyſtus, Chryſolitus, Onyx, Berillus, Chryſopraſus, Hyacinthus, Adamas, Lazulus, Armenius; præterea, & Chryſtallus, Corallium, Vniones, Bezaar, Hebenum, & Ebur dilucidantur. Vitrum etiam vt materia Chymico neceſſaria, & Specula diuerſa, aliaque conuerſa in lapides, & gemmas ab arte, addita Lapidis Philoſophorum curioſa meditatione pateſiunt.

Metallicorum, Foſſiliumq. ſiue Mineralium corporum materiam practicis operationibus perficiendam aggreditur, vbi eadem methodo pro iiſdem elaborandis, & ad vſum medicum deducendis, & pro morbis de medio tollendis idoneis iiſdem efficiendis multa curioſa, & arcana hucuſque forſan ignota exhibentur, & floridis conſectarijs inſignita occupantur. Lib.II.


IAtrochymiæ Dogmaticæ, Theoricæ, & Practicæ nomenclatura nuncupatum librum, celeberrimi ac Clariſſimi Domini Hieronymi Bardi, enixè intuitus trutinaui, ſic mihi iniungente Reuerendiſſimo Patre F. Vincentio Candido Sacri Palatij Magiſtro, qui vt ſecundam obtinet partem, ita nulli ſecundus apparet; eundemque tam ritè Eccleſiæ ritibus conformari inſpectaui, vt nil aduerſum Fidei, nil aduerſus Canones, optimoſque mores mihi animaduertere datum fuerit ſed nobilioris Philoſophiæ penetralia reſerare, arcana detegere, ac quæ ſub te-

nebrarum latibulis latitabant clara, propatulaque peragere; indeque is Hippocraticam sapit doctrinam, Hyblæum celi nectar, vel Hymetti pariter ambrosiam; Nil enim optari potest, quod humanum non expleat captum, quod Atticum non habeat leporem, quod non sit Κύκνειον ᾆσμα, *cygnea scilicet cantio, suauiloquo, floridoque scribendi stylo, neoterico themate, matura methodo, & doctrinæ profunditate, indeque eundem quam primum typis committendum censeo, vt auctori gloriam, legentibus vtilitatem non minus afferat.*

Ego Iulius Cæsar Benedictus à Guelfalione ex Vrbis Archiatris, & in Romano Archigymnasio Medicinæ Theoricæ ordinarius Professor.



TERTIAE PARTIS
IATROCHYMIAE.

Lib. X. 
OELVM terramque maritat, dum Chymiatriæ causas efficientes præcipuas Solem nimirum, Lunamque, eorumque, & Cæli influentias, & qualitates, & constitutiones, Medicamque Astrologicam contemplationem, Planetarum, Stellarumque fixarum influxus Medico-Mathematicè, Lunæ item aspectus varios, phases, phenomena, canonesque, & obseruationes pro ægrotis, & eorum decubitu recta animaduersione enarrantur. Primæ item rerum qualitates, earumque gradus, & differentiæ caloresque, & ignis variæ species Iatrochymico inseruientes enucleatius examinantur, & multa philosophicam lucernam suaueolentia prosequuntur.

Me-

Metalla, & Metallica in genere, & in specie Theoricè propalat, & septem Metallis, Auro, Argento, Aere, Ferro, Stamno, Plumbo, & Mercurio, ac eorum excrementis Molybdena, Lithargirio, Cadmia, Thutia, Pompholide, Viridi Aeris, & Cerussa singillatim explicatis, de Fucis cuiuscunque generis, & Metallorum transmutatione peragitur, & cum Alchymistis pro hac studiosa instituitur velitatio, & multa erudita conspiciuntur. Lib XI.

Metallica insuper Auripigmentum, Arsenicum, Sandaracha, Chrysocolla, Borax, Marchesita, Cynnabaris, Antimonium, & Artefacta dilucidantur.

Metallorum, & Metallicorum corporum Vires, Dotes, modique, quibus hæc soluuntur, & præparantur, cum Gotgummatis longa discussione practicè explicantur, & violarijs, Rosetisque conspicua fiunt. Lib.XII.


REuerendissimi Patris S. A. P. Magistri mandatis obsecutus Iatrochymiæ excellentissimi D. Hieronymi Bardi tertiam partem susque deque reuolui, ac perlustraui. Librum reperi Auctore suo iam in litterario theatro celeberrimo non degenerem; non triuiali, sed solida doctrina, non vulgari, sed recondita sapientia refertum. Nihil in eo Catholicæ Fidei contrarium, nihil bonis moribus aduersum offendi. Dignus qui ad doctorum omnium desiderium explendum quamprimum in lucem prodire permittatur.

Ita sentio ego Paulus Zacchias Medicus Romanus manu propria.



QVAE.

QVARTAE PARTIS
IATROCHYMIAE.

Lib.XIII.  ABET operationes Iatrochymiæ singulares tàm supremæ quam infimæ sortis, ipsius scientificæ artis primarias & secundarias.

Lib.XIV. Instrumenta omnia Chymiæ inseruientia describit, eorumque materia simplici, & composita in genere, & in specie, Vasorumque cuiuscunque generis apparatu, & dispositione, & medijs pro eorum recto vsu propalatis.

Lib.XV. Compositas Chymiatriæ operationes, & earum singularem digestionem tam ex propria obseruatione, quam ex varijs manuscriptorum monumentis depromptas, & magisteria ex singulis recensitis modum præparandi docet; itemque quoad arte, & industria fieri debeant exponit.


Lib.XVI. Elixiria ex singulis hùcusque dictis singulis humani corporis depellendis morbis accommodata, digestaque exhibet, vbi quomodo, quaue dosi singula singulis humani corporis membris applicari possint, & debeant, & innumera alia naturæ mysteria medicæ praxi inseruientia curioso Lectori condonantur, & apta medicamenta in vniuersali, & in particulari, ex vnaquaque Naturæ familia deprompta pro morborum complicatione maximo commodo soluenda, & è propria sede humoribus infestis deturbandis præscribit.

QVartam hanc Iatrochymiæ partem à Doctissimo Hieronymo Bardi mirabili ingenij acumine perfectaque methodo, ratione, ac experientia, summis laboribus conditam, & vndequaque absolutam de mandato Reuerendissimi Patris Fratris Vincentij Candidi diligenter vidi, & attentè perlegi, omniaque huius operis dogmata, & Catholicæ Fidei, & sacris Canonibus, & bonis moribus consentanea reperi, inuenique hoc opus

quam-

quamplurimis artis Medicæ thesauris refertum, cum summa dexteritate facile demonstret, quomodo, quodlibet medicamentum præparari possit, vt saluis viribus manentibus medicamentum efficacissimum, vtilissimum, ac tutissimum, maximisque superandis morbis aptum præstet, vnde in hoc opere summam Medicinæ perfectionem, & nobilissimum per medicamenta Chymica Medicinam faciendi modum reperies; quare dignum iudico, vt quamprimum ad humani generis vtilitatem luce perfruatur.

Gabriel Fonseca Medicus secretus Sanctissimi Domini Nostri Innocentij X. & in sapientissimo Romano Panathæneo Medicinæ practicæ Professor.



QVINTAE PARTIS

IATRO-HERMICHYMIAE.



ABSTRVSA, & recondita particularia naturæ, & artis arcana reserat, Indicaque Orientalia, & Occidentalia, Persicana, & Aegyptiaca à Religiosis Carmelitis Teresianis, Dominicanis, & Soc. Iesu præsertim, & insignibus naturę inuestigatoribus communicata; ab Eminentissimis, & Reuerendissimis Cardinalibus, Serenissimis Ducibus, Excellentissimis Principibus, & alijs Illustrissimis & doctissimis Viris litteratorum Patronis augustissimis, & à nemine hucusque euulgata, vel rudite r de ijs simpliciter facta mentione pro litteratis, & studiosis Viris digna, vt rectè elucubrata. Lib. XVII.

brata facta; quæ quidem in Reipublicæ litterariæ Medicæque studiosorum bonum, commodumque vtilissimum liberali manu nouitatum curiosarum amatori, & indagatori communicat.

Post tot excellentes famososque Romanæ Vrbis Hippocrates & Galenos quid dicam non habeo, nisi, quod omnium libens volensque sententiæ subscribam. Opus itaque hoc Iatrochymicum siue rerum varietatem, siue innumeros abditarum rerum recessus spectes, sanè eximium; vtque ad abstrusiorem Medicinam promouendam magni momenti futurum præuideo, ita dignissimum, imò necessarium iudico, quod ad omnium vtilitatem & salutem, (præsertim cum nihil aut bonis moribus, aut orthodoxæ doctrinæ contrarium teneat) typis sine mora committatur, si tamen ita videatur Reuerendissimo S.Pal.Magistro.

E Colleg.Rom.16.Dec.1652.

Ita censeo.

Athanasius Kircherus
E Soc.Iesu.



MA-

152

MAGNI OPERIS IATROCHYMICI

IVDICIVM SINGVLARE

Celeberrimi, & emeriti Doctoris

MARCI AVRELII SEVERINI

NEAPOLITANI

Medicina, & Chyrurgia famigerabilis.



OC nostro saeculo medicina Galenicis plena numeris est omnibus; sic vt in ea nil desiderari queat, seu de genere theorico, seu pragmatico, & in hoc quidem postremo commenti sunt homines nostri resoluta in extremas curationes exempla, quas obseruationes appellarunt. His plurima librorum volumina complerunt, ac quotidiè complent imitatores, vsum videlicet habentes prae ratione, atque hanc sine vsu deficientem, quemadmodum Hippocrates funditus in lib. de praeceptionibus demonstrauit. Itemque Galenus in lib.9. cap.4. metho.medendi, & lib. 2. eiusdem oper. cap. 4. Habent autem aliqui docti scriptores historias, & exempla pro Lydio lapide, pro Filo labirynthi, proque consumata colophone: de quibus omnibus latè professus est Io.Schenchius operis exordio. Verum enim verò Paratirision hos, & maiores fructus me non inficiante, quod & de selectis, & miris abscessibus iustum opus conscripsi: nihilotamen minus est longe dignior hac notitia, quae non de subiecto est, neque de obiecto primis duobus medendi principijs, verùm de tertio, quod materiae medicinalis modus, & instrumentum est. At non id quidem commune, & vulgatum, & promiscuae facultatis: verùm aliud genus longè praestantius, & prorsus efficax: quale diuinus alioqui Galenus non agnouit, aut verius

[c]ognitum desiderauit, quum aceti calidi frigidi contrarias, & complexas vno corpore naturas arte separare quidem anxiè peroptauit, & Hydrargyri conditionem perquisiuit penitus, & ignorauit: quas binas tamen operas spagyrus quisque tyrunculus æuo nostro scit administrare. Felix, inquam, æuum, ac diuina aspiratione fortunatum, quod ab Hermetis, seu quidem Aegyptijs, seu alterius, & Arabis tempestate nobis illuxit: quippè quod Chymiam, aut Alchimiam arabicè dictam aperuit, & Chao suffossam in lucem euulgauit. Hæc vna quidem, & prima, quæ labantem vtcumque sanitatem valet instaurare, migrantemque humano corpore firmitatem reuocare; cuius alioquin efficacissimis præsidijs titulus, & prærogatiua verè competit MANVS DEI. Cuius vniuersæ facultatis dotes, & dignitatem meum non est nunc, & huius loci demonstrare. Id exactè fecerunt Iof. Quercetanus in Hermetica Medicina; And. Libauius aduersus Riolanum in Alchymiæ triumpho; Adamus à Bodenstin in epistola ad DD. Fuggeros; Ioannes Albertus de concordia Hippocratis, & Paracelsi; Thomas Muffetus de præstantia Medicorum chymicorum; Guil. Gratarolus de vera Alchymiæ ratione, Iul. Cæsar Scaligerus in Artis Metallicæ citrà ænigmata doctrinam, Petrus Bonus in Chymica introductione; Io. Beguinus initio Chymicæ manuductionis; Democritus ad summam περὶ χυμίας cum Synesij, & Stephani commentarijs. Sed quam isti verbis artem hanc exaltarunt, operis ipsis, & re clarus naturæ scientissimus Vir Hieronymus Bardius Genuensis Medicus alias consultissimæ facultatem hanc maiorem in modum auxit, ac locupletauit, adeo vt ordine postremus dignitate, me arbitro, sit primus opere ordinato, & coagmentato Chymiatriæ, sic vt nequeat elegantius, vtiliùs, absolutiùs, & amplius desiderari. Hic porro complexus animo materiæ medicinalis vniuersitatem, & genus omne vegetabilium, animalium, atque fossilium principio sysiasin, & ideam omnem sibi substrauit eiusdem informandæ materiæ tùm generatim, tum speciatim. Atque hæc in primo operis segmento.

Deinde in secundo de operibus vsu solemnibus cum

prin-

153

principalibus, tùm adiectitijs exsequutus est; primum quidem theoreticè, mox pragmaticè, at tertia de secretricis disciplinæ causis omnibus sub opus accedentibus effectricibus, & adminiculatricibus exegit: itemque de metallis, atque metallicis tùm contemplationis ordine, tùm operationis. Sed quarta sectione de spargyricis omnibus operis singularibus primum, mox de adminiculis. Item de operis omnibus compositioribus, & singulari ipsarum apparatu, tùm ex suis quidem obseruationibus, tùm aliorum. Ad hæc postrema distinctione de reconditissimis magisterijs, arcanisque præsidijs ad morbos quosque profligandos tùm generatim, tum membratim explicauit.

Ab his extrema, nec adhuc lassa manu naturæ, & artis arcana singularia exarauit.

Sic quarti præcipui medicinalis instrumenti apparatus in solidum digestus, & hæc Bardianæ Chymiatriæ synopsis est. Qua vna non concluditur Hermetici peritissimi laus omnis. Verum, & Iatrochymia sacra medico Theologus homo se patefecit: patefaciendum alias & institutionis primæ studijs, & disciplinæ magistris: Is enim à primoribus annis assuetus est ergastirijs, & diatribis Serenissimi Ducis Ferdinandi Gonzagæ, viri vna Pneumato labij, si non foret aliud, inuentione laudatissimi: quod Pneumatolabium, & vsus eius tum à Cl. Bartoletto, tum à nobis in opere de respiratione descriptum est. Quantoperè igitur apud præclarissimum virum multorum annorum curriculo profecerit palam fit; sub optimis institutoribus Academicis, & Collegis præstantissimum ingenium, quod & laborem, & longinquum tempus adhibeat ad discendum, qualis, & quanta creuerit ostenditur disciplina: quæ plurima sunt ex his, quæ dictator Hippocrates ex futuris Medicis exegit in lib. de lege. Tales quidem Medicos plurimos vbique numerant, & præcipuè Septentrioni subdita regio; nos verò vix agnoscimus inter Italos. O te igitur singularem (ad te Bardi conuertor) ò Apollini dilectum! ò beatum, qui primo, & solus in nobis eam sedem, & certè regiam occupasti, vt admirandus, & excolendus, & assiduè suspiciendus in sublimi consīdas! Equidem non indè tibi summopere gratulari,

non

non mihi ipsi obseruatori tuo vehementer gaudere non possum; vti nunc & congratulor; quemadmodum & de miris tot vigilijs, monumentisque tuis, quibus rem Physicam, Medicam, & Hermeticam ornare, ditareque promittis isthocce catalogo scriptorum tuorum congratulor, & congaudeo. Vtinam autem & conuiuere, & commerere tecum aliquandò fas sit. Non maius Eutychia mihi bonum, votumque dexterè suppetat. Thesaurum vtique inuenerim, & Attalicam opulentiam: de quo munere Deus ter optimus, terque maximus oratus, atque exoratus esto. Neapoli Kal. Nouembris 1652.

FINIS.



